Copyright: Admont, Benediktinerstift

uit. cum ei diuinitus responsum fuisset, quod non ante moreretur quam Christum uidisset, quan
do et Christus infans in templum cum matre uenisset, in spiritu natum esse iam Christum uidit,
de quo sibi fuerat ante praedictum. quo uiso sciuit se cito moriturum esse. Laetus itaque
de morte iam proxima et diuina accersione securus, accepit in manus puerum.
et benedicens dominum exclamauit et dixit. Nunc dimittis seruum tuum domine secundum
uerbum tuum in pace. quoniam uiderunt oculi mei salutare tuum. probans scilicet atque
contestans tunc esse seruis dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem. quando
de istis mundi turbinibus extracti, sedis et securitatis aeternae portum petimus.
quando extincta hac morte ad immortalitatem uenimus. Illa est enim pax nostra.
illa fida tranquillitas. illa stabilis et firma et perpetua securitas. Ceterum quid
aliud in mundo quam pugna aduersus diabolum cotidie geritur. quam aduersus
iacula eius et tela conflictationibus assiduis dimicatur. Cum auaritia nobis cum
impudicitia, cum ira congressio est. cum carnalibus uitiis. cum concupiscentiis car
nis. cum illecebris secularibus, assidua et molesta luctatio est. Obsessa mens ho
minis, et undique diaboli infestationibus uallata. uix occurrit singulis uix
resistit. Si auaritia prostrata est. libido exurgit. si libido compressa est. succedit am
bitio. si ambitio contempta est. ira exasperat. inflat superbia. uiolentia inuitat.
inuidia concordiam rumpit. amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere quod
diuina lex prohibet. compelleris iurare quod non licet. tot persecutiones animus cotidie
patitur. tot periculis pectus urgetur. et delectat hic inter diaboli gladios diu stare.
cum magis concupiscendum sit et optandum ad Christum subueniente uelocius mor
te properare. ipso instruente nos et dicente. amen amen dico uobis. quia uos plora
bitis et plangetis. seculum autem gaudebit. uos tristes eritis. sed tristicia uestra in leticiam
ueniet. Quis non tristicia carere optet. Quis non ad leticiam uenire festinet.
Quando autem in leticiam ueniat nostra de lucta tristicia. dominus denuo ipse declarat
dicens. Iterum uidebo uos et gaudebit cor uestrum. et gaudium uestrum nemo aufe
ret a uobis. Cum ergo Christum uidere gaudere sit. nec possit esse gaudium nostrum
nisi quando uiderit Christum. quae caecitas animi, quaeue dementia est amare pressuras
et poenas, et lacrimas mundi. et non festinare potius ad gaudium quod numquam pos
sit auferri. Hoc autem fit fratres dilectissimi, quia fides deest. quia nemo credit
uera esse quae promittit deus qui uerax est. cuius sermo credentibus, aeternus est et firmus.